DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALLANUS MACDOWALL,

SCOTUS,

SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ EDINENSIS
SOCIUS HONORARIUS.

Σοὶ μεν τȣτο, Θεα, σμικρὸν, ἐμοὶ δὲ μεγα.

ΘΕΟ΄ΓΝΙΔ. ΓΝΟΜ.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

Edinburgi:

EXCUDEBANT DANIEL SCHAW ET FILIUS.

1805.

VIRO OPTIMO

ATQUE DOCTISSIMO,

R. R. DOCTORI

ALEXANDRO CAMERON,

MAXIMIANOPOLIS EPISCOPO,

HUNC SUUM LIBELLUM,

OMNI ORNAMENTO

PRAETER EJUS NOMEN CARENTEM,

D. D. CQUE

ALLANUS MACDOWALL.

———— συ δ᾽ ἄκουε φαεσφόρου ἔκγονε μήτης
Μοῦσαις.

NECNON

CARISSIMO SUO FRATRI MAXIMO

JOANNI MACDOWALL, ARMIGERO,

CUI

OPTIMA DEI BENEFICIA

EXOPTAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSPEPSIA.

ALLANO MACDOWALL, Auctore.

GENS humana, coelo destinata, dum in terra diversatur, multis dirisque premitur malis.

Mens assiduis molestiis et infortuniis vitæ conflictatur ; et siquando eam jubar verae beatitudinis illustret, eheu quam fugax ! Cito magis magisque contristatam atque oppressam relinquit. Miserum ac fragile corpus quantis

est

est circumventum insidiis! Quot hostes proterevi undique prementes exsurgunt! Ipsa elementa, quasi conjuratione, ad diruendum concurrere videntur. Infelix genus! pro nobis aer ipse circumfluit orbem; contra nos quam ingentes tempestates ac turbines excitat aer! Frigus quam gratum aestuantibus, id ipsum interdum nobis quam perniciosum! Nullus locus, nulla cura, neque ulla ratio vitae, nos e duro fato abdere potest. Si migramus in fertilem Austrum, ibi fervor et dira febris excipit: Si ascendimus ad luridum Septentrionem, hic languentes horridum gelu constringit. Frustra quærimus robur vigoremque aeternum in luxu, dapibus, et vinolentia; namque subito adoriens valetudo, inopinantes hisque confectos extinguit. Neque expectandum est, nos longe a fremitu et intemperantia urbis remotos, variisque jucundis literarum studiis occupatos, communis sortis huminum, expertes esse futuros.

Tum enim macies, multaeque aliae lentae aegritudines

aegritudines aggrediuntur, quae citius ocyus, nisi repressae, interimerent, quaeque ideo maturam medicinam requirunt. Harum de quibusdam sub nomine dyspepsiae disserere conabor.

DE NOMINE AC DEFINITIONE

Hic morbus vocatur dyspepsia, quod in eo plerumque minime omnium suo officio bene fungitur stomachus. Definitur ab ill. Culleno, " Anorexia, nausea, vomitus, inflatio, " ructus, ruminatio, cardialgia, gastrodynia, " pauciora saltem horum simul concurrentia, " plerumque cum alvo adstricta, et sine alio " vel ipsius ventriculi, vel aliarum partium " morbo."

Stomachus magna officina corporis est, altor et refector caeterarum partium, cum quibus in sanitate mirum commercium habet. Itaque non dubitandum est illas huic laboranti consentire, ab hujus detrimento cito labascere, et

hoc male se habente, nunquam tuto posse sanari. Quam ob rem, non solum de symptomatis aegrotantis ventriculi, quae in definitione referuntur, sed etiam de quibusdam aliarum partium, quae in iis qui stomacho laborant, observantur; quaeque inde oriri vulgo putantur, disserturus sum.

DESCRIPTIO MORBI.

Jam primum omnium incipit languescere ventriculus. Modo aeger eum sentit tumentem, modo undique perstrictum, nunc magno pondere gravatum, nunc diversas quasi in partes distractum. Liquor ejus acescit, et cibos et potus corrumpens, acres et crudos, sursum per guttur adigit. Magnis vexatur doloribus, modo pigris qui gastrodynia, modo acerbissimis, qui cardialgia, appellantur. In eo validi flatus oriuntur, qui veluti venti in Æoli antro, inter sese luctantes, cum ingenti fremitu hac et illac erumpunt. Saepe intolerabilis nausea urget, quam

quam excipit vomitus, et anorexia, seu omnis cibi aversatio.

Dum morbus ingravescit, omnes partes corporis brevi corripiuntur; immanes dolores excitantur in capite, in dorso, in ventre, in pectore, in lumbis, et in aliis locis.

Musculi surarum, vel plantae pedis, dum aeger surgit de sella, vel sese in gelidum lectum conjicit saepe, haud cum levi cruciatu distenduntur. Alvus plerumque adstricta est, nonnunquam autem nimis fluitat. Homo sensim fit tam infirmus, ut vix ad quanquam exercitationem corporis niti, ne quidem paucos passus incedere possit; quin defatigatus, anhelans, subitoque sudore perfusus, cito conatu desistere cogatur. Pulsus arteriarum viribus et numero multum deficiunt; tamen nisu vel minimo corporis maxime tumultuantur. Cor saepe adeo violenter strepitat, ut manum reflexam in pectus fortiter percutiat; interdum vero fere quiescit. Tum magna anxietas ludit circa

praecordia,

praecordia, oculi immoti caligant; genas linquit color; et homo membra tremens, neque satis sui compos, stupens, quasi fulmine ictus, manet; donec iterum cor subito excitum redintequare officium, gratumque calorem per omnes partes perfundere incipit, et semianimem rursus ad dulcem vitam reducit. Haec apud medicos anxietas vocatur, " omni dolore intolerabilior."

Cum jam malum inveteraverit, animus, fidus consors laborum, et deliciarum vitae, paulatim laborare incipit. Interdiu tristi ac terribili mortis imagine vexatus; noctuque horrendis speciebus, ac diris insomniis, turbatus et contritus, celeriter deflorescit. Semper moestus et aegrotus, omnia quibus antea oblectabatur longe fugit; nonnunquam in veram insipientiam abit.

Toto nunc habitu corrupto, morbus in tabem pessimi moris, vel, ab inexsaturabili siti, in hydropem desinit, vel denique ad mortem festinat.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Non opus est ut multa de diagnosi dicam. Morbi cum quibus potissimum dyspepsia dicitur habere similitudinem, sunt, amenorrhaea, hypochondriasis, atque pyrosis.

Corpus muliebre quaedam munera sibi propria habet; quorum unum est, certis temporibus, plus sanguinis quam ad suum nutrimentum, et refectionem satis eſt, conficere; eumque idonea tempestate foras exigere. Hoc si minus commode vel non omnino facit, multa molesta signa exoriuntur, quae haud sine difficultate, interdum nequicquam a dyspepsia discindere conamur: neque, ut credo, multum refert, ut id faceremus; plerumque enim a similibus causis veniunt, et parem fere rationem curandi requirunt.

Sicubi hypochondriasis, sine ulla affectione corporis sit, facile dignoscitur, ideoque hic praetereunda

tereunda est. At hypochondriasis, vel quaedam hujusmodi affectio animi, plerumque est in dyspepsia; ab hac nascitur, et, hanc curando, curatur.

Pyrosis, quanquam apud quosdam, pro morbo idiopathico habita, saepissime nihil aliud quam symptoma incipientis dyspepsiae observatur.

PROGNOSIS.

Praedictionem morbi eventus, rem admodum difficilem, medici semper existimaverunt. Prudentem medicum, in curandis morbis, tot res considerare oportet, ut omnino tacere, quam flagitantibus quid sentiat, quippe quod saepe falsum est, temere proloqui, praestat. Quilibet morbus in diversis hominibus dissimilis est, in unoquoque aliquid sibi proprii semper habet. Hoc venit ab avita constitutione corporis, a tempore anni, a sexu, ab aetate, et a multis aliis rebus ad quas vel necessitas

cessitas, vel libido, homines subigit. Hinc intelligitur cur in scriptis medicorum tanta insit diversitas; cur tyronem expectantem eadem videre in aegro homine, atque olim in libris vidisset, spes toties fefellerit; et hinc venit difficultas tradendi regulas, quibus eventus, tractus, vel sanatio morbi praesagiri possint.

Attamen non inficiandum est, quasdam esse res ex quibus eventum morbi saepe conjicere possumus. In dyspepsia, si aeger juvenis sit, si morbus non diu insederit, si caetera, constitutio sana sit, omnia prospera esse futura, sperandum est. At si aeger senex sit, si malum iterum iterumque vexaverit, si totus habitus jam corruptus, vel alio gravi morbo oppressus fuerit, vix aequum est sperare hominem unquam ante obitum prorsus morbum esse superaturum.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hæ variae et multiplices sunt, quarum aliae in stomachum, aliae in totum corpus, agunt. Omnis cibus minus salubris, ventriculum imprimis laedit, ut carnes putridae, vel durae, fumo vel sale conditae; quae omnes minus idoneae ad nutriendum corpus sunt, quam quae recentes, modicoque sale aspersae fuerint. Pingues quoque multis nocent. Olera mala sunt, ut brassica oleracea, allium sativum, allium cepa, allium porrum, brassica rapa, daucus carota, lepidium sativum, &c; ut et quidam fructus, praesertim immaturi, pyra, mala, cerasa, &c.; nec meliora aromata, narcotica, amara, acida, &c.

Multi homines magnam vim nicotianae tabaci, mandendo, naribus hauriendo, vel ardentis fumum ducendo consumunt. Hi, ut videmus, flatibus, et aliis malis ventriculi, raro vacant.

Calidi

Calidi tenues liquores, ut thea et coffea, modo nimis iis indulgeatur, in causis dyspepsiae, nec fortasse immerito ponuntur. Spiritus ardens frequens et non minima causa hujus morbi est. Si a jejuno, vel qui vivit in multa ignavia, vel in immoderata quantitate bibatur, magnos dolores stomachi, et molestos flatus facit, appetitum cibi minuit, infinitaque alia mala inducit. Contra ea, homo qui bene se exercet labore, ambulatione, venatione, vel aliquo genere exercitationis, et qui justum nutrimentum capit, modicam quantitatem spiritus, non solum sine detrimento, sed etiam cum maxima utilitate, haurire potest. Tum enim defatigatum recreat, digestioni favet, secretiones et excretiones juvat, et bonum somnum conciliat. Hoc maxime notabile est in multis generibus loboriosae vitae, praesertim in nautis; qui, navali labore agitati, salubri victu alti, et nectareo potu refecti, aegritudinem aeque ac circumsonantem tempestatem despernunt.

Ignavia.—Corpora nostra sic natura ficta

sunt, ut assidue multorum ad sanitatem egeant, quorum ope vivunt, crescunt, ac vigent; quibusque intermissis citius ocyus defluunt, vel prorsus collabuntur. Horum ad quaedam dulci necessitate adducimur; ut ad aera, quem etiam inscii et inviti trahimus; et ad cibos et potus, ad quos capiendos ineluctabili fere imperio famis ac sitis impellimur. Sunt autem alia, quae, etsi non tam necessaria vitae sunt, tamen plurimum ad sanitatem conservandam conferunt, quaeque intermitti diu vix impune possunt. Horum non ultima est exercitatio corporis. Ignavia enim nobis inimicissima est; corpus hebetat, et in graves morbos pronum facit, maxime vero ventriculo nocet. Dyspepsia igitur longe saepissime ab ignavia gigni videtur. Aliquid hujusmodi quoque in pecoribus accidit, namque diu in stabulo retenta sensim languescunt, pabulum refugiunt, et stomacho laborant.

Quem invadit dyspepsia? Non qui multum sudavit in cursu; non qui solidum diem in

sylvis consumpsit; nec qui notos greges in apricis montibus procuravit; neque aratorem, qui a luce ad hesperum uberem terram exercuit; nec foeminam semper circa res domesticas solicitam. Hi omnes grata coena refecti, suavique somno vocati, securi atque tranquilli quiescunt. Qui vero in aliquod studium intenti nunquam sese a libris dimovent; qui multum sunt dediti deliciis mensae, vinolentos, vel qui quomodocunque ignavi vivunt, laboriosos et inopes mortales, qui, cum graves labores diei pertulissent, et sese ad tabernam recipissent, ad lentum focum, nihil praeter tenuem panem, et gelidam aquam, reperiunt: hos plerumque dyspepsia tenet.

Saepe violenti et diuturni affectus animi sunt causae hujus morbi.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Medici, ut omnibus notum est, nulla de re, magis quam de causa proxima morborum, dissederunt. Sunt qui dyspepsiam, omniaque ejus symptomata, oriri ex vitio succi gastrici arbitrantur. Cum his nequaquam consentire possum. Namque multa alia symptomata saepe praecedunt aciditatem, vel corruptionem hujus succi: neque est quod hoc prae caeteris signis causam poneremus. Cum alii, tum maxime Cullenus, causam proximam dyspepsiae esse debilitatem stomachi scripserunt. Hos nihil magis sequi possum. Sum vero sententiae eorum, qui causam proximam putant esse infirmitatem totius corporis; nam multae causae remotae non in stomachum, sed in totum corpus agunt; neque minus notum est, interdum in dyspepsia nullam partem corporis, nec ipsum animum, neque ullam eorum functionem sanam, reperiri.

CURATIO.

CURATIO

Omnis morbus, ut supra est dictum, in quovis corpore, aliquatenus diversus reperitur; cum ob varias conditiones ipsius corporis, tum ob mores seu instituta hominis. Curatio quoque multiplex est. Itaque scriptoris est, generalia remedia, quae ad curandum morbum utilia existimantur, describere. At longe aliud officium medici in conclavi aegri. Eum enim quaenam sit causa praesentis mali, num recens sit, vel si jam inveteraverit; numquid in vita victuque mali sit, et innumerabilia alia animadvertere oportet. Quibus cunctis cognitis, non ut histrio, omnibus quae remediis extulit fama, uno ingenti impetu morbum conari depellere: sed ex his, optimis tantum delectis, quaeque suo aegro maxime conveniant, ea, prudenti consilio administrare decet. Hoc enim discriminis inter medicinam empiricam et rationalem est, ut illa cuique morbo certum nomen imponat, eique, omni praeter-

missa

missa percontatione, sua remedia promat: haec autem, non nisi bene consideratis causis, quaeque omnibus imperium in morbum habere possint, callide conjectis, curationem instituat. Sed nobis redeundum ad inceptum est.

Emetica.—In dyspepsia, saepe magna quantitas materiae putridae, austerae, vel crudae, in ventriculo est, quae exonerari potest vomitu. Ad hunc multa medicamenta utilia sunt. A tribus ad quatuor grana tartritis antimonii in aqua, vel uncia vini tartritis antimonii, vel viginti quinque grana pulveris ipecacuanhae, vel uncia ejus vini, sufficiunt. Vomitus multum corpus debilitat, ideoque non saepe renovandus. Succurrendum est stomacho laboranti post vomitum pauxillo vino et aqua, vel spiritu, vel quolibet alio stimulante, vel aromatico.

Purgantia.—Alvus suppressa infestissima et fere constans dyspepticis est. Magnus numerus est remediorum purgantium, quorum maxime

idonea

idonea ad dyspepsiam referam. Uncia olei ricini communis ex aqua menthae piperitae, vel ex pauxillo spiritu, vel mixta cum aqua, ope succhari, vel gummi, bonum et vix ingratum medicamentum est. Bonum quoque est rheum palmatum sub variis formis. Uncia tincturae, vel duae pilularum rhei compositarum, satis sunt.

Si alvus pertinaciter suppressa est, strenuioribus medicamentis erit subducenda. Horum optima ex mediis et metallicis salibus quaerenda sunt; ut tartris potassae et sodae, vel phosphas sodae, quorum utriuslibet uncia, in aqua, vel jure soluta, adhiberi potest. Submurias hydrargyri vel simplex ad grana octo, vel ad grana quinque mixtus cum triginta granis pulveris jalapae compositi, utilissimus est. Remedium vero, quod maxime auctores collaudaverunt, est aloe perfoliata; quae, ut ferunt, agit praecipue in crassa intestina. Multiplices ejus praeparationes; pilulae aloeticae, pilulae aloes cum assafoetida; pilulae aloes cum colo-

 cynthide;

cynthide; pilulae aloes cum myrrha: harum quarumlibet, duae vel tres administrantur; vel uncia tincturae aloes socotorinae, vel duae drachmae tincturae aloes aethereae, &c.

Corroborantia, Tonica, Amara, &c. Ex his praecipua sunt ferrum, acidum nitricum, et sulphuricum, cinchona officinalis, colomba, aristolochia serpentaria, gentiana lutea, &c.

Viginti quinque guttae tincturae muriatis ferri in cyatho aquae, ter die sumantur. Acidum nitricum et sulphuricum ad dyspepsiam utilia esse dicuntur. Hoc modo dari possunt:

℞. Acidi nitrici, sive sulphurici, ʒ ii.
Aquae fontanae ℔ ii.
Spiritus ardentis ℥ iv.

Hic cum pauxillo saccharo gratus potus erit dyspepticis.

Cinchona Officinalis.—Hujus medicamenti forma quae maxime convenit dyspepticis

pepticis est tinctura. Hujus aeger subinde bibat duas vel tres drachmas. Probatissima amarorum sunt, tinctura colombae, tinctura aristolachiae serpentariae, tinctura gentianae composita, vel tinctura rhei cum gentiana, ad paucas drachmas. Multi infuso anthemidis nobilis, nec ut arbitrantur, sine fructu utuntur. Aliquando absorbentia, seu remedia quae acidum liquorem stomachi exhauriant, praecipiuntur. Sed his, ut credo, nunc multo minus quam ante creditur, namque non solum non semper acorem abluunt, sed etiam gravando et debilitando ventriculum, eum ad plus gignendum aptiorem reddunt. Frequens usus aromaticorum quoque stomacho nocet.

Opium in hoc, ut in quoque fere alio morbo humani corporis, est probatissimum remedium. Necessarium est interdiu parva tantum quantitate uti; at cum decubitum sit, ad contrahendum somnum plus dare oportet.

DIAETA, EXERCITATIO, &c.

OMNIUM longinquorum morborum curationem, solis medicamentis frustra tentamus; eorum enim plena et firma sanatio nunquam fiet, nisi scite et prudenter ea regendo, quae etiam ad sanum hominem necessaria sunt; quaeque res non naturales appellantur. In dyspepsia diaeta debet esse magni nutrimenti, facilisque digestu: ut carnes omnes, vel earum jura, aves, pisces, &c. Malae ut supra dictum est, sunt carnes putridae, pingues, atque salitae; fructus immaturi, olera, panis male fermentatus, &c. Hujus omnimodo praecepti meminerint dyspeptici; parce sed saepe vesci.

DEBENT uti pro potu communi liquore, qnem nos PORTER vocamus. Hic nonnunquam principio ingratus est insuetis, et in stomacho acescit; sed perseverando, brevi gratissimus et saluberrimus potus fit. Neque inutile est, identidem

identidem modicum vinum cum aqua mixtum bibere. Si violenta palpitatio, anxietas, vel ingens dolor ventriculi vel intestinorum aggreditur, hominique necem intentat, protinus drachmam aetheris sulphurici ex aqua, vel saccharo, vel cyathum spiritus sinceri hauriat.

Vana spes curandi dyspepsiam, si praetermittimus exercitationem. Haec varia et multigena est. Sunt quos vehi juvat. Hoc maxime convenit iis, qui adeo infirmi facti sunt, ut laborem ambulandi impune ferre non possunt. Sed jam declinante morbo, validiore multo opus est exercitatione. Tum longa, crebraque equitatio, diuturna, primo lenis, matutina praesertim et vespertina ambulatio, venatio, navigatio, jactus lapidis, vel disci, cursus, vel pila palmaria, plurimum proficiunt. Hic autem monendum est, quod dyspeptici, levibus tantum primo generibus se exercitationis immisceant; neque ad validiora, nisi sensim et pedetentim sese deducant.

Quidam

Quidam frequentem perfusionem corporis, ex aqua frigida, praescripserunt.

Non necessarium est dicere, omnes labores animi, quantum id fieri potest, esse remittendos, et mentem placidam, tranquillam, atque imperturbatam, esse conservandam.

